107

# Responsum Ducum Saxoniæ per Tomicium ad Regem Polon: scriptum:

Credere non debet regia Mttas, quod quidquam facinorum et maleficiorum, cum dissimulatione et scientia Illmorum Dnorum inter et extra eorum Ducatûs ac dominia sit commissum, et quandocunque eadem Regia Mttas aut subditi regni Poloniæ certa judicia dederint, volunt eor Illmæ Dnes contra eos, qui facto deprehensi aut judicati fuerint, justitiam ita ut æquitas postulaverit, ministrare, agentesquè et hospites, ac promotores illorum pœnâ debitâ coërcere, ex qua re Domini regni Poloniæ singularem complacentiam sunt habituri. Quod attinet ad Theodoricum Rabel: voluerunt Dni Duces, ut ille et ego Tomicki coram eis comparuissem. Quod tamen ego facere nolui, quoniam mihi non erat commissum, quia autem idem Theodoricus Rabel me munere legationis fungentem scriptis suis lacessivit et offendit. Rogo Vram Mttem dignetur meâ culpâ ad Illrmum Ducem Fridericum Electorem Imperij, et ad ejus Illmum Dominum fratrem Literas perscribere, ut eorum Illmæ Dnes intelligant me ejusmodi legationem ex commissione Vræ Mttis et non meâ causâ obijsse.